

communissima, & prima, potest tamen aliquid idem inesse omnibus illis denominatiue, quod non debet dici prius, vel communius illis; nisi essentialiter de eis diceretur. Sic ad secundum, quod non sunt essentialiter aliquid idem: ideo non sequitur ipsa esse differentia. Hoc quodammodo apparet, ubi minus videtur; scilicet, in accidentalibus rebus: quia album vnum significans dicitur de superficie, & de homine, quæ sunt duorum generum. Sed non est omnino simile: accidens enim reale: tantum habet aliquid vnum pro proximo subiecto: ita quod nulli alij inest, nisi per naturam eius: unde aliud tantum est eius subiectum per accidens, mediante primo subiecto: sed accidens intentionale potest æque primo inesse rebus omnium generum, & nulli per aliud.

Ad tertium dico, quod res non est tota causa intentionis, sed tantum occasio; in quantum, scilicet, mouet intellectum, ut actu consideret: & intellectus est principalis causa: ideo minor vnitas sufficit in re, quam sit vnitas intentionis: quia sufficit, intellectum ab aliquo extrinseco moueri ad causandum multa per considerationem, quibus non correspondet in existendo aliqua in re simpliciter: sicut albedo significat per modum per se stantis, & per modum habitus secundum quid: vtrumque enim attribuit intellectus; modum, scilicet, habitus, & per se stantis simpliciter; sicut homini: & vtrumque est simpliciter nomen: sed tamen vtroque est aliquid correspondens illi modo: sed non ita vere, sicut causata intentioni ab intellectu moto ab illo extrinseco. Similiter intellectus considerans rem per illam vnam speciem potest millefies reflectere se supra suam operationem considerando: & qualibet consideratio est aliquid nihil habens extrinsecum sibi correspondens, nisi tantum primum obiectum pro occasione; in quantum illud mouet primo intellectum ad considerandum: sed de hoc dictum est in libro Porphyrij.

Ad quartum dico: quod aliud est dicere aliquid vniuocè prædicari de multis; & esse vniuocum prædicatum de multis: denominatiuum enim primo modo non est vniuocum: secundo vero modo est: vt ostendit ratio. Unde concedenda est conclusio: scilicet, quod nullum

prædicatum intentionale est vniuocè prædicatum de rebus primæ intentionis: sed aliquid intentionale vniuocè in se prædicatur de istis; licet non vniuocè, sed de hoc magis postea dicitur.

Summa textus: simul & explicatio.

IN tertia denique questione inquit, an Prædicamentum, seu generalissimum, quod superius decem generibus, & obiectum adæquatum huius libri assignauit, sit vniuocum illis? Partem negatiuam quatuor rationibus persuadet: tum quia tale commune est prius istis: ergo ista non sunt decem genera prima contra Boetium. Tum quia tunc non essent primo diuersa; sed differentia: ac per consequens species ex illo communi, & ex gradu differentiali constituta: tum etiam quia vnitas intentionalis dependet ab vnitate reali: sed in re nihil est commune vniuocum istis: ergo nec in intellectu: tum denique quia nullum vniuocum est denominatiuum: cum hæc duo tanquam membra diuidentia hic opponantur: sed Prædicamentum intentionale denominatiue dicitur de istis decem, quæ sunt res primæ intentionis: ergo non vniuocè.

Nihilominus ad questionem affirmatiue respondet dicens: aliquid intentionale vniuocum potest applicari rebus omnium generum: probatur: sicut non impedit diuersitas primarum intentionum, vt concipiuntur sub eodem modo: vt patet de omnibus accidentibus in ratione informandi: sic non impedit diuersitas secundarum intentionum sub vna superiori concipi: imo potiori iure hoc in illis inuenitur: ergo ab istis decem intentionibus optime potest abstrahi aliquid commune vniuocum decem Prædicamentis. Probatur etiam argumentis ad oppositum.

Deinde ad argumenta respondet: ad primum, quod prime intentionales, sunt prima, & communissima genera: non tamen secunde intentionales: quia non dicuntur decem prima genera intentionum, sed rerum: & per hoc ad secundum quia enim, vt de illis loquimur, non sunt res, ideo nec sunt differentia proprie; nec aliquid idem entia.

Vel aliter ad vtrumque, quod licet prime intentionales accepta sint genera communissima, & prima; nihilominus aliquid commune; vniuocum potest ea denominare, quod tamen non dicitur prius, seu communius illis: quia ad hoc requiritur, vt essentialiter de eis dicatur. Et per idem ad secundum non enim dicuntur differentia: quia hoc commune non dicitur de eis essentialiter, sed denominatiue.

Nota tamen, quod quodlibet generalissimum, quatenus est vna secunda intentio, habet sua prædicata superiora, quæ de eo essentialiter prædicantur: quare conclusio Doctoris, & solutiones

Conclus. Doctoris.

Nota.

dones prædicatæ intelligatur de istis decem, pro vt fundamenta sunt secundarum intentionum: licet etiam in primo sensu intelligi valeat.

Ad tertium iam supra super Porphyrium patuit maxime quæst. 3. de Genere quomodo vnitas maior, qualis est vniuocationis, potest à minori esse, qualis est vnitas proportionis, oriri. Quare multa per modum vnus potest intellectus percipere, quibus à parte rei nihil vniuocè correspondeat. Vide solutionem Doct. & super Porphyrium quæst. tertia Prohem. & quæst. secunda vniuersal.

Ad quartum ait: aliud esse vniuocum prædicatum, & aliud vniuocè prædicari: quam distinctionem etiam tradit in tertio dist. septima. Vide Prædicamentum, licet sit denominatiuum, bene potest esse vniuocum prædicatum respectu istorum decem, quamuis de illis non vniuocè prædicatur: sed de hac distinctione amplius infra. Et quia omnes difficultates, quæ circa has tres questiones moueri poterant, iam alibi tactæ sunt; & passim tanguntur; ideo illas omittimus consulo.

QVÆST. IIII.

Utrum ens sit decem Prædicamentis vniuocum?



VERITUR: vtrum ens sit decem Prædicamentis vniuocum? Videtur quod sic, per media Logicalia: & hoc sic: in æquiuocis non est contradictio, per

Aristot. in Elenchis: sed hic, est contradictio: Sortes est ens; Sortes non est ens: ergo ens est vniuocum.

Item, nullum æquiuocum est determinabile per aliquod additum ad aliquod æquiuocatorum: quia quodlibet illorum actu importat: sed ens per aliquod additum est determinabile ad vnum Prædicamentum: vt cum dicitur: ens absolutum, vel ens per se, contrahitur ad substantiam: ergo non est æquiuocum.

Item, sequitur: homo est substantia: ergo homo est ens: quia antecedens non potest esse verum sine consequente: sed in æquiuocis non est consequentia: ergo, &c.

Item, si ens est æquiuocum: ergo aliquo modo hæc est vera: substantia est

non ens: & sequitur: ergo substantia non est aliquid: quia aliquid non est communius ente: & sequitur: ergo substantia est nihil: ergo hoc consequens aliquo modo est verum, quod videtur in conueniens: quia tunc non peccaret ratio Parmenidis in primo Physicorum in hoc, quod accipit istam, non ens est nihil, quod videtur esse contra Aristotel.

Item, prædicari in quid est ratio vna conueniens enti: vt dicitur de omnibus istis: ergo illud, quod dicitur de istis est vniuocum: quia ratio, sub qua aliquid dicitur, non est magis vna eo, quod dicitur.

Item, possibile est vniuocum: tum quia habens contradictionem: tum quia est consequens ad necesse: quorum vtrunque patet secundo Perihermenias: sed possibile non videtur communius ente; sed minus commune: cum ens diuidatur per actum, & potentiam: ergo multo magis ens est vniuocum.

Item, omnis diuisio incipit ab vno, sed ens diuiditur in hæc decem 5. Metaph. ergo est aliquid vnum in istis.

Item, omnis multitudo debet reduci ad vnitatem, per Auctorem de causis: sed diuersa; vt patet per Aristotel. decimo Metaphys. dicentem; quod omne ens sufficienter diuiditur in idem, vel diuersum: ergo ista multitudo reducitur ad aliquod vnum: sed illud nihil videtur, nisi ens: ergo, &c.

Item, secundum Aristot. septimo Physicorum, omnis comparatio est secundum aliquod vniuocum: sed secundum ens est comparatio: ergo, &c. probatio minoris: tum, quia dicimus: quod accidens est minus ens, & posterius ens, substantia: tum, quia dicitur secundo Metaphys. Vnumquodque sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem: & ibidem probantur principia sempiternorum esse verissima, siue maxime vera: ex quo sequitur, quod sint maxime entia; ergo secundum ens est comparatio.

Item, vnus scientiæ vnum est subiectum vniuocum: sed ens, in quantum ens, est Metaphysicæ subiectum: sicut de terminat Aristot. quarto illius: ergo est vniuocum. Probatio maioris: tum quia de subiecto sunt demonstrationes: in demonstrationibus autem oportet esse aliquid

Tex. com. 26. & 27.

Tex. com. 14.

Tex. com. 23.

Tex. com. 24. & inde

Tex. com. 4.

Tex. com. 1. & inde.

Text. 25. quid commune vniuocum, per Aristot. primo Posteriorum: & parum infra: in demonstrationibus non accidit æquiuocatio. Tum quia de subiecto oportet præ cognoscere ante demonstrationem, quid est: æquiuocum non habet quid est: quia nec distinctionem.

Text. com. 4. Item, in secundo Metaphy. arguitur, principia sempiternorum esse verissima: quia sunt causa effectus vniuoci, & veritatis in alijs: tunc sic: veritas vniuocè in est causis omnibus, & causatis: ergo entitas, per Aristot. ibidem: vnumquodque sicut se habet ad esse, sic ad veritatem: sed omnia, vel sunt causa, vel causata: ergo omnibus est ens vniuocum.

Text. com. 8. & 9. Item, quarto Metaphy. ponitur istud esse primum Principium: scilicet, non contingit idem simul esse, & non esse: & certissimum omnium Principiorum: sed si ens esset æquiuocum, esset hoc Principium dubium propter multipliciter terminorum: ergo aliquid aliud certius eo, cuius termini non essent multiplices: hoc est inconueniens: ergo ens non est æquiuocum.

Item, vnius potentia cognitiua est vnum obiectum primum in genere: sed ens, in quantum ens; est obiectum primum intellectus per Auicenam: igitur est vniuocum. Maior patet inductione, & ratione: quia potentia cognitiua nata est perfici per se per formam sui per se obiecti: sed vnius potentia non sunt per se diuersa forma genere per se perfectiua: ergo eidem potentia cognitiua non correspondent diuersa genera pro obiecto.

2. Metaph. Item, Auicena dicit: quod ens nec dicit substantiam, nec Accidens: sed qui dicit æquiuocum, dicit alterum significatum: quia æquiuocum nullum intellectum constituit, nisi alterius significatorum: igitur ens non est æquiuocum.

Item, ens imponitur ab vna ratione, vt ab actu essendi: ergo significat vnum.

cap. de spe cie. Ad oppositum est Porphyrius dicens: si quis omnia entia vocet, æquiuoce nuncupabit.

Item, Aristot. in principio Predicamentorum: singulum incomplexorum aut significat substantiam, aut quantitatem, &c. sed si ens significaret aliquid commune istis; nullum illorum significaret: quia quod significat superius, non

significat inferius sub propria ratione: ergo non esset ens incomplexum, quod est inconueniens: ergo, &c.

Item, si ens sit vniuocum istis: tunc esset genus illorum: & ita hæc non erunt decem genera prima: sed esset vnum generalissimum primum. Probatio prima consequentia: omne vniuocum dicitur de multis dicitur de illis sub ratione aliquid vniuersalis: aliter illa quinque vniuersalia non sufficienter diuidentur prædicari de multis: sed ens, si esset vniuocum, non posset dici sub ratione Speciei specialissimæ: quia hæc non sunt singularia: nec sub ratione Differentiæ; quia nullum eorum distinguit: Differentia autem est, qua differunt à se singula: nec Proprijs, nec Accidentis: quia ens prædicatur in quid, per Aristot. quarto Metaphy. hæc duo non: igitur si sit vniuocum, erit genus respectu illorum. Et ex hoc consequente non tantum sequitur inconueniens suppositum: scilicet, quod illa non sunt genera prima: sed etiam est contra Aristot. tertio Metaph. quia ens est de intellectu cuiuslibet: & genus non est de intellectu Differentiæ: ergo, &c.

Similiter, si hæc decem haberent aliquid vniuocum prædicatum in quid de eis, per illud non distinguerentur, vt manifestum est: igitur per aliquid super additum vnumquodque differt ab alio, quid quid sit illud, sequitur, hæc esse differentia, & non secundum se diuersa: quia sunt aliquid idem entia, quod est contra Aristot. 4. Metaph. sequitur etiam hæc species esse: quia omne compositum secundum rationem ex aliquo communi dicto de se in quid, & ex aliquo formali super addito, est proprie dissimile per illa: diffinitio autem proprie solius Speciei est, per Aristot. sexto Topicorum.

Item, si sit commune istis, cum hæc differant, & non per ens, quæro de addito in hoc, & isto: aut est ens, aut non ens: si ens: igitur ens est de eius intellectu: ergo addendo illud enti, erit nugatio: & ens, & illud, sunt de intellectu cuiuslibet Predicamenti: ergo in intellectu simplici cuiuslibet Predicamenti est nugatio: ergo in intellectu cuiuslibet est nugatio: quia in intellectu cuiuslibet includitur aliquid Predicamentorum. Etiam in omni diffinitione erit nugatio semper resoluendo vsque ad genus generalissimum, ponendo rationes pro nominibus, quod

1. 2. met. 8. & 10. vbi supra.

Text. com. 10.

5. 8. & 10. Met. idem habetur.

Cap. 1. & inde.

Text. com. 43.

quod Aristot. habet pro inconuenienti septimo Metaphysic. Hæc probatio est generalis ad probandum omnem determinationem facientem vnum per se cum determinabili esse extra intellectum determinabilis: & è conuerso, de determinatione non faciente vnum essentialiter est hoc magis manifestum. Si illud additum in quolibet predicamento supra ens sit non ens; sequuntur duo inconuenientia. Primum est, quod quodlibet Predicamentum sit non ens formaliter: & ita omnia inferiora erunt per se non entia: quia de omni inferiori prædicatur aliquid istorum. Aliud est, quod in intellectu cuiuslibet Predicamenti sit repugnantia: & ita de intellectu cuiuslibet, vt prius deductum est.

Text. com. Vltim. Item, Aristoteles 8. Metaphysic. dicit, quod sicut substantia separata sunt statim idem, quod sunt: id est non per formam aliquam aduenientem materie. sic ens est statim aliquid Predicamentorum: ergo non per differentiam additam: igitur non est commune.

Item, si ens sit vniuocum istis, hæc erit nugatio, substantia quanta; homo albus: & vniuersaliter addito accidens subiecto: quia aliquid idem includitur per se in intellectu vtriusque: ergo faciendo resolutionem, ponendo rationes pro nominibus, aliquid idem bis diceretur: & ita erit nugatio: similiter in omni diffinitione erit nugatio propter idem: quia in vtriusque diffinitione intellectu includitur idem.

Propter hæc dicendum est, quod ens non est vniuocum decem Predicamentis.

Sed quomodo se habeat ad hæc, dubium est: vt prædicatur æquiuocè, vel analogicè. Ponitur autem Analogia in voce tripliciter: vel quia significat vnam rationem primo, quæ existendo diuersimodè cõuenit duobus, vel pluribus, quæ dicuntur Analogata; sicut hoc nomen causa; & hoc nomen Principi; & multa alia nomina, quæ distinguuntur in 5. Metaph. significant vnam rationem primo: tamen illa est in diuersis secundum ordinem. Alio modo ponitur Analogia in vocibus: quia vnum significatur per prius per vocem, & reliquum per posterius: cuius causa ponitur: quia significare sequitur intelligere: quod igitur per prius intelligitur alio; si significetur per eandem

voce, per quam, & illud aliud, per prius significabitur. Tertio modo quia vox vni imponitur proprie, & propter aliquam similitudinem ad illud, cui primo imponitur, & transfertur vox ad significandum aliud: sicut est in secundo modo æquiuocationis vbi etiam est quodammodo ordo in significando: quia nunquam vox transfertur ad significandum aliquid; nisi supponatur ipsam impositam esse ad significandum aliquid proprie: & hoc secundum significat solum propter aliquam similitudinem eius ad illud, cui primo imponitur. Voces Analogicæ primo modo videtur esse apud Logicum simpliciter vniuocæ: quia genus secundum Logicum est simpliciter vniuocum: licet ratio, quæ primo significat, diuersis speciebus secundum ordinem cõueniat. In omni enim genere est vnum primum, quod est mensura omnium posteriorum; per Aristot. 10. Metaph. forte tamen non est omnino simile de vocibus sic Analogicis, & de genere respectu specierum: quia licet generis species inter se habeant ordinem secundum perfectius, & imperfectius, in essendo: tamen in participando rationem generis non habent ordinem: quia æque primo omnes participant naturam generis: nam æque immediate prædicatur genus de primis speciebus cõduidentibus ipsum; & tunc nulla est differentia in primitate inter istas prædicationes: albedo est color; nigredo est color: licet cõparando albedine, & nigridine, inter se, albedo sit perfectior. Sed in vocibus, quæ ponitur Analogicè primo modo, est ordo inter participantia in participando illud: sicut non est æque primo finis causa, & materia, nec forte æque primo contrarietas, & contradictio, oppositio.

Secundus modus Analogiæ supra dictus videtur impossibilis: quia contingit ignorare simpliciter prius, quando nomen imponitur posteriori: quia posterius simpliciter potest esse nobis prius; & ita prius intelligi, & prius significari. Si ergo secundo modo vox ista imponatur priori simpliciter: manifestum est, quod non significabitur per posterius illud, cui primo imponitur: quia illud semel significauit primo: igitur semper, vox enim postquam imposita est, non mutatur in significando illud, cui primo imponitur: igitur, ordo rerum non concludit or-

Text. com. 2. & inde.